



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Singularitas quænam cauenda; quænam ite[m] seruatu necessaria. Can.
XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Hæc tamē etiam excitat diabolus, vt dum his conaris resistere occupata, à gustu charitatis meæ remoreris, aut confternata his nimium, non audeas ad me accedere. Hęc facti diabolus, quia gaudet te scrupulis ac perturbationibus inuolui, ac fabricatum tuum impediri. Verum tu noli ad ea respicere, noli formidare, noli ijs responderi, noli repugnare, noli aduertere: imò quasi nihil senseris, quasi nihil in mentē venerit, immota in tua deuotione ac exercitio perge, & scedas has, omnes incidentias velut canum larratus, aut anserum sibilos, quibus neq; est respondendū, neque concertandum, prætereundo ac deridendo relinque. Ita faciendo, faciliter euadens, has obliuisceris. Porro si reniti, disputare, timere, respicere, auscultare, discutereq; volueris, magis semper tuæ eas memoriæ imprimes, & magnæ simul te inuolues perturbationi. Nolunt enim pugnando, sed contemnendo vinci. Obserua etiam, ne tentatio quæuis importunitate ac repugnandi tactio te vincat. Hoc enim machinatur diabolus, vt quem astutia nequit fallere, quem delectatione non potest illicere, tam longa tentandi molestia vexet, donec improbitate actatio vincat.

Quocirca longanimitate, perseverantia ac patientia tibi opus est, vt sicut ea ipsa mala quæ contra honorem meum tibi ingeruntur, teq; moliantur seducere, detestari debes: ita afflictio ipsa quam super te permitto, & providentia mea, qua volo vt molesta sentias, labor quoque repugnandi, quam in conflictu portare habes, non debent displicere aut fugi, sed propter me hæc debes patienter & sine murmure portare. Nec ignorandū est, si tentata fueris carnalibus, vt sunt gula & luxuria, hæc ipsa fugiēdo magis, quam conflictum cum illis ineundo posse superari: quem admodum è diuerso vitia spiritualia infestando, & contraria his agendo vincuntur. Superbia enim inde non fit infirmior, nec superabitur, si occasionem fugias te humiliandi, videlicet ne tentationem sentias illius superbiz, quæ humiliationem fugit. Sed si illam vis superare, insiste & ingere te vt humiliaris. Inuidiam quoque superabis, si velox importunatq; facias quod illa dissuadet, hoc est, si fratri loquaris, si seruias, si te humilies. Sic acediam, non fugiendo laborem diuinumq; cultum, nec ne iubearis operari te subtrahendo: sed ad opera te diuina aut virtuosa compellendo vinces.

Cauenda quatenus sit omnis inuidia.

CANON X.

CAue quam maximè potes inuidiā, ne alicui non faueas, ne illum minuas, ne illi te præferas, ne cōtristes, & ne de eius bonis, honoribus, laudibus aut profectu spirituali (si tibi præferatur) cōtristeris. Propter hanc tentationē vincendam filia, esto illi magis affabilis ac seruilis, & de eo absente nunquam loquaris, nunquam audias, nihilq; à te procedat vnquam in verbis, operibus, aut signis, quod inuidiam oleat, aut quod ex hac natura sit radice.

*Singularitas quænam cauenda: quænam item seruatiu
necessaria.*

CANON XI.

Remedium
aduersus
bi spiritus
impugna-
tiones.

Tentationes
quæ fugi
quæ iustitiam
stendo super-
tentur.

Singularitas quam necesse est laetetur.

IN conuersatione apud alios non proferas exteriorem vultum tristem aut turbulentum, sed serenum, ne alijs sit tua conuersatio grauis. Singularitatem in caeremonijs, in operibus & signis deuotionis non necessarijs in aliorum oculis, caue. Porro quae animae tuae sunt necessaria, quae status tuus & Christiana requirit professio, quae pro virtutibus obtinendis, aut peccatis vitandis sunt necessaria, non timeas esse singularis, ibi caeteris te non conformabis, si suam negligentiam salutem: quin potius pro tua salute, pro virtutibus, pro meo denique beneplacito, & persecutiones humiliter ac patienter sustinere te oportet.

Matrem suam cur Deus à mortalibus honorari colique voluerit: ut eam thesaurariam omnis gratiae constituerit: quamque terribiliter ipsius in honorationem contemptumque vlciscatur.

CANON XII.

Matrem meam deuotione praecipua venerare, ipsam pie crebroque salutando, atque vitam & virtutes eius studiosè imitando. Ego enim hanc mundo dedi in sanctitatis, innocentiae ac puritatis exemplum, in singulare paternitatis asyllum, quam nemo horreat, nemo formidet, nemo ad eam accedere trepidet. Propterea namque ad eam feci eam mitem, ad eam piam, ad eam misericordem, ad eam denique benignam & elementem, ut neminem aspneretur, nulli se neget, omnibus pietatis sinum apertum teneat, neminem à se redire tristem aut non consolatum sinat. Feci etiam illam gratiosam, amabilem, ac mirum in modum, etiam peccatoribus alioqui desperatis & obstinatis, dulcem, suauemque, ut sit mihi quasi in hamo esca capiendis (praesertim eiusmodi) animabus, maximè idonea. Si quidem magnos peccatores, qui alia omnia retia dirumpunt, quosque nulla alia via ad me trahendi occasionem aptam inuenio, hac, id est, per venerationem & deuotionem meam capio matris, quam eorum cordibus vehementer facio dulcem, & ad pia opera erga illam, puta venerationis, deuotionis, confidentiae, inuocationisque exorto eos, qui erga me duro sunt corde, quo aptos dignosque tandem efficaciam meae gratiae & illuminatione maiori, donec ad correptionem & plerumque apprimè sanctam vitam perueniant. Tu ergo quotidie commenda te illi, ut per hanc à me gratiam & amicitiam meam recipias maiorem. Illi enim omnem gratiae & misericordiae meae thesaurum erogandum commisi, quando filios meos omnes, potissimè autem pro quibus tunc patiebar peccatores, in persona Ioannis in filios commendandi. Hoc ipsa non ignorat. Propterea ad eam est diligens, ad eam sedula, ut officio suo satisfaciens, neminem eorum, quantum in se est, qui sibi commissi sunt, praecipue se inuocantium, perire sinat, sed quantum valet, omnes mihi reducat, omnes mihi reconciliandos offerat. Putasne filia aptam atque huic negotio idoneam elegi? Num aptiorem, aut magis huic officio congruam inueniri potui? An tristes, desolati, peccatis obruti, alium putas ante me interuentorem desiderabunt, qui pro eis fidelius loquatur, eosque ad me adducendos benignius recipiat, quam mulierem hanc, virginem maximè humilem, misericordissimam, mansuetissimam, amantissimam, pietate & dulcedine superfluentem, eamque potentissimam & mihi acceptissimam.

Quos Deus per matrem suam ad salutem vocet.

Thesaurum omnem Dei gratiae beatae Mariae creditum. Ioan. 9.